paupere progenitus lare sum parvoq. parente
cuius nec census neque domus fuerat.
5 Ex quo sum genitus, ruri mea vixi colendo;
nec ruri pausa nec mihi semper erat.
Et cum maturas segetes produxerat annus,
demessor calami tunc ego primus eram.
Falcifera cum turma virum processerat arvis,
10 seu Cirtae Nomados[2] seu Iovis arva[3] petens,
demessor cunctos anteibam primus in arvis,
pos tergus linquens densa meum gremia[4].
Bis senas messes rabido sub sole totondi,
ductor et ex opere[5] postea factus eram.
15 Undecim et turmas messorum duximus annis,
et Numidae campos nostra manus secuit.
Hic labor et vita parvo conta *(sic)* valere
et dominum fecere domus et villa paratast,
et nullis opibus indiget ipsa domus.
20 Et nostra vita fructus percepit honorum;
inter conscriptos scribtus et ipse fui.
Ordinis in templo[6] delectus ab ordine sedi,
et de rusticulo censor et ipse fui.
Et genui et vidi iuvenes carosq. nepotes.
25 Vitae pro meritis claros transegimus annos
quos nullo lingua crimine laedit atrox.
Discite mortales sine crimine degere vitam.
Sic meruit, vixit qui sine fraude, mori.

(In latere sinistro) d. m. s. | C. Mulceius | Maximus | vixi[*t*] an. XXX. *(In latere dextro)* [*d. m. s.*] | S. Au[*reli*]|us F . . . | nus vix. | an. XL.

Mactari in Byzacio rep., est Parisiis (VIII S. 11824 titulus scriptus litteris uncialibus q. d.; imago C. r. de l'Acad. des inscr. 1884 p. 64 tab.; Palaeographical Society ser. II tab. 49). Buecheler carm. epigr. 1238. — 1) *Sic Villefosse et Michon, reiectis eis quae plura in tabula Palaeogr. Soc. legere sibi visus erat Cholodniak eph. minist. russ. instr. publ. 282* [*Iul. Aug. 1892*]. — 2) *Nota ad Cirtam Numidiae messores ire solitos esse vel ex provincia Byzacena. Confert Mommsenus Sueton. Vesp. 1, ubi est mentio operarum quae ex Umbria in Sabinos ad culturam agrorum quotannis commeare solebant.* — 3) *Iovis arva ignota.* — 4) *Intellege manipulos (cf. Havet Archiv f. lat. Lexicographie II p. 135).* — 5) *Intellege: ex opera.* — 6) *In curia. Cf. supra N. 5520.*

7458 b. m. s.[1] fideli in χρο Ihesum | Hireni, que vixit annis LXV m. VIII | d. X, cui bene fecit vir eius. Precessit fi|delis in pace. Deposita XVIII kal. Maias; | que fuit conduct.[2] m.[3] Trapeianae[4].

Tropeae in litore Bruttio (X 8076 imaginem dedit de Rossi bull. crist. 1877 tab. VII fig. 1 cf. p. 87). — 1) *Bonae memoriae sacrum.* — 2) *Conductrix,* 3) *massae (de Rossi).* — 4) *Inde ortum esse hodiernum nomen Tropea apparet.*

---

archive.org